

Arcana virtute potest, Cæliq; Deiq;
 Ergo quæ tu hodie felicia iura mariti
 Accipis, et flos ille tuus Victoria castæ
 Ille pudicitia secretis natus in hortis
 In dulces fructus frondes densabit odoras
 Nata hodie es generi humano, aut de funere surgis
 Et tu florem illum fortunatissime Coniux.
 Vngue leges primo, tu primus et vltimus huius
 Germis intacti uenies, Vbalde colonus,
 Ut te hodie Venus alma hominum suprema voluptas
 Fortunat, licet ipse tuos ab origine mundi
 Enumeres atavos, et primus in ordine longo
 Iuppiter auctorem generis se iactet ab Ida
 Cum populis passim palantibus, et latèbris
 Luminis in dias oras et densa cœgit
 Mænia, monstravitq; humanæ commoda vitæ,
 Et Dodoneæ leniuit ab arbore duram
 Esca famem veteris quæ nunc stat gratia facti
 Illa etiam celebris, sunt hinc insignia gentis
 Robora prisca tuæ; licet et tibi seruiat Vmber,

139
 Agmina; ingentes centum digesta per Urbes,
 Fœcundatq; vndis argenteus arua, Metaurus
 Regnorum lætis uiridanti ambage tuorum,
 Sunt hæc magna quidem, tamen est tibi gloria maior
 Ducere clarorum uxorem de sanguine Regum
 Quæ sit vultu Helena; quæ sit cornelia corde;
 Cui dos est animus thesauro ditior omni,
 Compositumq; decus morum, et iocunda venustas,
 Cui stupefacta solet venienti assurgere Roma,
 Quam bene vos Dionea pari coniunxit amore
 Ergo pares animas confundite, et oribus ora
 Et desudatis suspiria missa medullis,
 Et vos in dulces, natos et pignora cara
 Illecebrarum, auidis complexibus instillate;
 Intrepidi vobis olem nascentur Achilles,
 Et quales adeo uenerata est Roma Catones.
 Dij, quorum auspicijs in se stat maximus orbis
 Immotus, qui res mundi componitis omnes
 Vnde sumus, tuq; in primis bone Iuppiter auctor
 Coniugij, et natura parens, et pronuba Juno